



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculæ

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Fabius amissâ ludo pecuniâ, ad hominem avarum, qui se amicum
jactabat, ut mutuam præstet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

LAPIS LYDIUS.

Ad explorandam Amicitiam,

seu

F A B I U S

Amisâ Ludo Pecuniâ,

*Ad hominem avarum, qui se amicum
jaçtabat, ut mutuam præstet.*

Jocosa.

Actum erat de me, ne vivam, hominum carissime, & res, opinor, ad restim perè, & ad laqueum reciderat mihi, qui loculos omnes funestissimo alex casu perdideram, nisi tu dolenti miserè ac desperanti homo amicissimus occurrisses. Intellexi statim, ita persuasum habeo, quod jaçtastî mihi tam sæpè, non fucatum te aut personatum, sed verum ac sincerum amicum esse; intellexi, inquam, hoc ipsum, quod me angebat tantum, rem fore tibi gratissimam, qui opportunam testandæ amicitia occasionem nactus esses. Nam unde tandem illustrior amicitia se prodat, quam si, opitulandi amico gratiâ, quoslibet crumenæ sumptus ac ruinas ultrò patiatur? Hic est Lapis veluti Lydius, quo, sicut germanum aurum ab adulterino, sic amicus verus à falso discernitur; & qui tam gravi periculo tentatus se-

M 5

mel

mel nullis avaritiæ malè suadentis rationibus vin-
ci se permiserit, is cæteris in rebus certum se ac
fidelem amicum præstabit. Neque enim in ejus-
modi discrimine omnis generis defunt causæ, qui-
bus egentis amici vel justas preces declines facile,
si nihil præter amici nomen habueris. Difficul-
tas temporum, rei domesticæ penuria, faciendi in
numerosâ familiâ sumptus, & alia bene multa
statim se objiciunt, quibus commodandæ pecu-
niæ honesta quædam necessitas eludatur. A qui-
bus ego sordibus cùm te alienum semper æstimâ-
rim, Carissime, ita facile animum induxi meum,
certum abs te in difficillimis rerum mearum ad-
junctis esse mihi præsidium expectandum. Imò
tam amicum te novi, ut non dubitem, quin ju-
cundius quid tibi ferre amico petenti subsidium,
quàm mihi accipere futurum sit. Vide ergo
quantum mutatus repente à memetipso fuerim,
statim atque subiit animo de te deque tuâ bene-
volentiam cogitare. Dolebam amissas opes, ludo
malè precabar, miserum me, infelicem, perditum
æstimabam: jam vix ac ne vix quidem lætandum
mihi propter te putem, cui tam egregium grati-
ficandi amico locum vel imprudens paraverim.

R E S P O N S I O .

Satyrica.

O Me felicem, qui persuasisse tibi videar,
quàm sincerum in me, quàm devotum ad
omnia amicum nactus fueris! Næ æquum
censes, mi Fabi; neque revera quidquam est re-
rum omnium, quod malim, quàm ut talem esse
me,